

rationi virtus obsistat, oportet eos qui Christum A prædicant mundo, in religiosis mundi imperfectisque doctrinis per scientiam sapientia omnipotentis contraire]. Hæc beatus Hilarius.

Quanta autem pœna et damnatio non solum auctores, sed etiam fautores mendacii maneat, et quanta pietatis intentione a talibus recedendum sit, ut unusquisque fidelium ablutius et mundus fidei puritate mereatur habere consortium in ligno vitæ, audiamus ipsum Dominum nostrum, tam terribiliter quam dulciter in Apocalypsi comminantem pariter et pollicentem : *Qui vicerit possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. Timidis autem et incredulis, et*

*exsecratis et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda (Apoc. xxi, 7, 8). Et iterum : Et portæ ejus non cludentur per diem : nox enim non erit illi. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum et faciens abominationem in sanguine Agni et mendacium (Ibid., vers. 25-27). Et iterum : Beati qui lavant stolas suas ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis (Apoc. xii, 14-16).*

## FLORI DIACONI CARMINA VARIA<sup>a</sup>

(Ex Analectis Mabill. et Thesauris Marten.)

### I

(b) *QUEBELA DE DIVISIONE IMPERII POST MORTEM  
LUDOVICI PII.*

Montes et colles, silvæque et flumina, fontes,  
Præruptæque rupes, pariter vallesque profundæ,  
Francorum lugete genus : quod munere Christi  
Imperio celsum, jacet ecce in pulvere mersum (c).  
Hunc elementa sibi sumant compuncta dolorem,  
Terrarum tractus, maris æquam, sidera cæli,  
Ventorum flatus, pluviarum denique guttæ :  
Et doleant homines hominum quia corda rigescunt.  
Omnia concrepitant divinis cincta flagellis,  
Omnia vastantur horrendæ cladis erumnis :  
Omne bonum pacis odiis laniatur acerbis :  
Omne decus regni furiis fuscatur iniquis.  
Ecclesiæ dejectus honos jacet ecce sepultus.  
Jura sacerdotum penitus eversa ruerunt.  
Divinæ jam legis amor terrorque recessit,  
Et scita jam cononum cunctorum calce teruntur.  
Vexantur claræ assiduis conflictibus urbes,  
Basilicæ Christi prisco spoliantur honore :  
Martyribus jam nullus honos : altaribus ipsis

(a) In his Flori versibus primum locum obtinent carmina duo quæ V.C. Adrianus Valesius, historiographus regius, ex vetusto codice Petaviano manu propria descripta, cum notulis suis mihi pro sua liberalitate concessit.

(b) Primum agit de variis cladibus quæ ex divisione imperii, post mortem Ludovici Pii, Galliis obvenierunt. Carmen istud in codice Petaviano inscribitur in hæc modum : *Voto bonæ memoriæ Mannonis liber ad sepulcrum sancti Augendi oblatus.* Fuit ergo liber iste monasterii sancti Augendi, seu Eugendi, in Jurensibus locis, quod modo S. Claudii dicitur, et quidem oblatum a Mannone, ejusdem cænonii præposito, cujus rogatu Ado Viennensis archiepiscopus ecclesiam Velnensem eidem abbatiæ confirmavit anno 870, ut patet ex litteris editis in Spicilegii tomo XII, pag. 135.

B Nemo metum defert, sacris reverentia nulla est.

Continuis prædis plebes miseranda laborat :

Nobilitas discors in mutua funera sævit.

Sanguine terra madet, fervescunt cuncta rapinis,

Et rabies scelerum ruptis discurrit habenis.

Flagrat adulterium, perjuriam nulla timentur.

Funditur innocuus nullo jam vindice sanguis :

Jam regum legumque metus mortalia liquit.

Tartareum clausis oculis jamque itur ad ignem.

Quis digne expediat monachorum septa revulsa,

Sacratas Domini famulas laicale subisse

Infami ditione jugum ; rectoribus ipsis

Ecclesiæ armorum impositum cædisque periculum ?

Præsulibus plebes viduas, doctore cathedræ

Pluribus et plures jacuerunt funditus annis.

C Principis hoc terror misera tunc clade coegit

Nunc ad tale malum quosdam atra superbia ducit.

(d) Tristis adhuc veteri tabescit vulnere Narbo :

(e) Tristia Rhemorum pariter quoque mœnia lugent.

Egregios (f) doctosque viros miseranda fatigant

Exsilia ; improbitas sævo sedem obtinet auro.

Floruit egregium claro diademate regnum :

(c) Alias, *versum.*

(d) Quid funesti tum acciderit civitati Narbonensi, silent Annales nostri. Existimen idem illi accidisse quod Rhemensi, eo quod Bartholomæus contra Ludovicum Augustum partibus Lotharii faveret, ob idque eum sede sua dejectum fuisse : ex quo diutina illius ecclesiæ secula sitorbatio usque ad Berarii ordinationem.

(e) Id est Ecclesiæ Rhemensi contigit post depositum Ebbonem, vacante sede per annos decem, nempe usque ad annum 844, quo Hincmarus viventi etiam tum Ebboni suffectus est.

(f) Nempe Hilduinum seniore, Walam abbatem, Barnardum Viennensem, Angobardem Lugdunensem pontifices, et alios, qui in varia exsilia deportati sunt.

Princeps unus erat, populus quoque subditus unus. A  
 Lex simul et iudex totas ornaverat urbes,  
 Pax cives tenuit, virtus exterruit hostes,  
 Alma sacerdotum certatim cura vigeat  
 Conciliis crebris, populis pia jura ministrans.  
 Hinc sacris cleris, hinc plebibus eximiisque  
 Principibus late resonabat sermo salutis.  
 Discebant juvenes divina volumina passim.  
 Littereas artes puerorum corda bibebant.  
 Crimina tetra vigil crebro censura fugabat :  
 Hos timor, hos et amor ad fœdera justa vocabat.

Quin etiam externas fidei conjungere gentes  
 Cura erat, et domitis imponere frena salutis.  
 Hinc pagana manus juga religionis inibat :  
 (a) Hinc hæresis surgens, pedibus substrata gemebat.  
 Claruit hinc nimium toto gens Francica mundo :  
 Famaque virtutum fines penetravit ad imos.  
 Legatos hinc suos procul extera regna,  
 Barbara, Græca, simul Latium misere tribunal.  
 Huic etenim cessit etiam gens Romula genti,  
 Regnorumque simul mater Romæ inclita cessit.  
 Hujus ibi princeps regni diademata sumpsit  
 Munere apostolico, Christi munimine fretus.

O fortunatum, nosset sua si bona, regnum,  
 Cujus Roma arx est, et cœli claviger auctor,  
 Tutor et æternus cœlorum in sæcula rector,  
 Qui terrestre valet in cœlum tollere regnum

At nunc tantus apex tanto de culmine lapsus  
 Florea ceu quondam capiti dejecta corona,  
 Quam varius textit redolenti gramine fulgor,  
 Cunctorum teritur pedibus : diademate nudus  
 Perdidit imperii pariter nomenque decusque,  
 Et regnum unitum concidit sorte trifurmi.  
 Induperator ibi prorsu jam nemo putatur.  
 Pro rege est regulus, pro regno fragmina regni.  
 Consiliis crebris quærentur furta nocendi :  
 Conventu assiduo populantur jura salutis.  
 Cassatur generale bonum, sua quisque tuetur.  
 Omnia sunt curæ : Deus est oblivio solus.  
 Pastores Domini soliti concurrere in unum ;  
 Dissidio rerum, synodalia nulla frequentant.  
 Concilio jam populi nulla est, jus omne recessit.  
 Frustra huc legatus, aula est ubi nulla, recurat.  
 Quid faciant populi, quos ingens alluit Hister,  
 Quos Rhemus Rhedanusque rigant, Ligerisque, Pa-  
 [dusve?

Quos omnes dudum tenuit concordia nexos,  
 Fœdere nunc rupto divortia mœsta fatigant.

Sæpe malum hoc nobis cœlestia signa canebant,  
 Cum totiens ignitæ acies, ceu luce, pavendæ,  
 Per media noctis dirum fulsere tenebras,  
 Partibus et variis micuerunt igne sinistro.  
 Cum mediante die populis jejunia festa  
 Devotasque preces per templa agitantibus alma ;  
 Sol nitidum tristi textit ferrugine vultum,

(a) Sic Prudentibus in præfatione ad Cathemerion. *Pugnet contra hæreses*. Multa alia peccat Florus in poetarum leges : at indulgendum illi ætati.

(b) Nempe annis 837 et sequenti 840 et 842.

Ac stellas radiare polo miro omine fecit.  
 Quod monstrum scimus bellum ferale secutum,  
 Quo se Christicolæ fero petiere nefando,  
 Et consanguineus rupit pia fœdera mucro :  
 Atque feræ, volucresque simul pia membra vorant ;

(b) Cum diri cœlo totiens arsere cometæ,  
 Humano cladem generi excidiumque minantes.  
 Inter quos unus flammanti crine coruscus  
 Mense fere toto truculento lumine fulsit.  
 Quem regionum atrox vastatio, motio regum,  
 Et rabies belli, et regni scissura secuta,  
 Continuis miserum quatunt terroribus orbem.

Quis finis, quæve ira Dei mala tanta sequatur?  
 Quæ jam vix aliquis pavitanti corde volutat,  
 Vix recolit, vix inde dolens suspiria fundit.  
 B Gaudetur fessi sæva inter vulnera regni :  
 Et pacem vocitant, nulla est ubi gratia pacis,  
 Stat paries subitam minitans validamque ruinam,  
 Jam dudum inclinatus, scissuris undique plenus.

(e) Illiniturque luto fluido, citiusque casuro.  
 Mistura hic paleæ nulla est, membra omnia nutant.

Jam vatis sancti metuendum cernimus Amos  
 Compleri in nobis deflendo ex ordine visum.  
 Jam Dominus murum linquit, deponere trullam  
 Jam parat, et nullam iratus vult ferre lituram.  
 Jamque etiam uncinum pomorum conspiciat ille,  
 Quo tota evulsis nudetur fructibus arbor.

Jam remanet quercus foliorum tegmine nuda :  
 Jam domini egregius flavet sine fontibus hortus.  
 En sitis atque fames, cecinit quam præsciis idem,  
 C Judicis Domini terris immissa perurget.  
 Cœlestis verbi desunt jam pabula et imbres.  
 Hoc Oriens Boreasque malum, hoc maria undique  
 [clamant.

Vocem evangelicam divino ex ore tonantem.

Quis non jam videat doleatque instare piorum?  
 Filius en hominis veniens ex arce polorum,  
 Invenietne, putas, fidei vestigia terris?  
 Cordibus humanis latebrosa foramina vulpes  
 Immundæ et cœli nidos fecere volucres.  
 Fraus hæc atque tumor diri late obtinet hostis :  
 Nec locus est Christo, quo vel caput ille reclinet

Hæc inter gemat et fidat grex ille pusillus,  
 Cui Pater æterni conservat gaudia regni,  
 Deducatque oculis lacrymas noctuque dieque,

D) Ac precibus vitæ pulsans ad limina perstet.  
 Exposcat veros inhianti pectore panes  
 Tres, evangelici memorat quos pagina verbi.  
 Vera fides confessa Deum per sæcula trinum,  
 Hts fruitur dapibus, his fidum pascit amicum.  
 Non lapidem sumet, si panem postulet unquam :  
 Nec pro pisce caput virosi sentinet hydri :  
 Nec pro ovo fallax illudet scorpius olli,  
 Fronte velut mitis, sed caudæ vulnere sævus.

(c) Hoc ex imitatione Ezechielis in cap. xiii, vers. 12 et seq. Quod subditur de Amosi prophetia, peti-  
 tur ex cap. viii, vers. 1 et 2.

Nam pius ille Pater, qui fons bonitatis habetur,  
 Ut sol sponte micat, ceu fons uberrime manat,  
 Utque ultro placidus rorat de nubibus imber :  
 Sic bona cuncta suis prono donat numine natis,  
 Qui tamen hunc vera fidei pietate requirunt :  
 Qui quod spe sitiunt, puro amplectuntur amore :  
 Qui bona sive mala fluitantis temere mundi  
 Norunt, instantique Deum virtute sequuntur.

O Domine omnipotens, da nobis mente videre  
 Tot mala, tot clades ; et tot lacrymanda pericla  
 Da gemere, et toto fac nos ea corde dolere,  
 Assiduisque tuum precibus deprecere numen.  
 Qui regis Israel, cui non dormiat in ævum  
 Omnia conspiciens oculus : qui lege perenni  
 Erigis elisos, elidis et ipse superbos,  
 Supplicibus veniam, tumidis properando ruinam.  
 Tu nos, sancte Pater, hic verbere cædere paterno :  
 Tu virga baculoque tuo nos corripe, firma :  
 Omne malum mundi fiat purgatio nostri.  
 Qui te semper amant, omni discrimine crescant,  
 Quatinus erepti pelagi de fluctibus atris,  
 Teque gubernante jam portum pacis adepti,  
 Carpamus dulcem tristi de semine frugem,  
 Perpetuaque tuos recinamus laude triumphos.

\* AD MODUINUM AUGUSTODUNENSEM EPISCOPUM.

*De injusta vexatione Ecclesie Lugdunensis.*

Egregio, Moduine, viro tibi mitto salutem,  
 Exiguus magno, vilis et eximio.  
 Sum modicus, sed magna loquar : quia maxime ille  
 Cujus res parvo carmine nunc agitur. [est,  
 Res divina tibi cantabitur : arrige, quæso,  
 Sollicitas aures, et pia corda adhibe.  
 Esto memor, quoniam duras qui prægravat aures,  
 Ad Domini legem veta odiosa facit :  
 Et vacuas defert ad Christi altaria voces,  
 Pauperis ad vocem viscera cruda gerens.  
 Quid, quæso, sacrosancta tibi nutricula nostra,  
 Atque eadem genitrix Ecclesia hæc meruit ?  
 Ut furiale odium ferali pectore versans,  
 Moliri hanc contra talia non metuas.  
 Discindis leges, canonum sacra jura revellis,  
 Dum materna modo viscera proh ! subigis,  
 Nec metuis demens calces illidere Christo,  
 De cujus stimulo terga cruenta geris.  
 Terga cruenta geris, nec sulcum corrigis, et bos

\* Hoc alterum carmen scriptum est ad Modoi-  
 num Augustodunensem episcopum, qui

Augusti montis pastor in arce potens

dicitur in alio Flori carmine, quod Petavianus co-  
 dex itidem continebat (*vide infra*). Hic est  
 Muatwinus episcopus, quem Walafrius Strabus  
 versibus itidem celebravit, idemque cui Theodulfus  
 episcopus inscribit lib. iv, carmen 6. Hic vero seve-  
 rius carpitur Moduinus, quod *nutriculam suam*, id  
 est Lugdunensem Ecclesiam, in cujus sinu adoleve-  
 rat male tractaverat, illius Ecclesie clericos trahens  
 ad sæculare storum contra canonum præscripta.

A Cornipeta in Dominum turgida colla vibras.  
 Dum phrenesis furiale malum tua viscera ferro  
 Te proprio expetere cohit, et ipse nescis.  
 Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum  
 Auctorem rodit, excruciatque animum.  
 Ecclesie reverendus bonos a tempore prisco,  
 Principibus summis præsulibusque piis,  
 Curricula annorum florens per plurima fulsit,  
 Sub pietate patrum pignora chara fovens :  
 Et gallina pios pennarum tegmine fetus  
 Mystica mundanis textit ab insidiis.  
 Agnoscis, ni fallor, enim quæ nomine tali  
 Voce evangelica sancta notetur avis.  
 Illa dolenter avis etiam nunc garrula clamat,  
 Et nostro gemitus promit ab ore pios.  
 B Teque prius quam calce secet, quam verberet aliis,  
 Quamque oculis spoliet, sic pietata vocat.  
 O fili Moduine, tibi (nam pignus et ipse  
 Es nostrum, nostro fatus et in gremio)  
 Quid rogo commerui, tanto quod tempore tuta,  
 Sedibus e placidis pignora nostra fugas ?  
 Quid mihi tristitias cumulas ? quid gaudia truncas ?  
 Cum gaudere mea me sobole haud pateris ?  
 Me pietas, me prisca fides munimine forti  
 Cinxerat, et certis sepserat auxiliis.  
 Quique etiam accipitres fuerant milvique rapaces,  
 Ac soliti natos dilaniare meos ;  
 In placidas versi subita pietate columbas,  
 Cursu avido nostros expetiere sinus :  
 Depositoque truce ingenio seu nomine torvo,  
 Nomine et ingenio complacuere meo.  
 C Hospitiis hæere meis, mea parva secuti  
 Pabula, et innocuis vivere deliciis.  
 Rostra unguisque feros quis me vastare solebant,  
 Vertere in nostrum dulciter obsequium.  
 Adversas volucres virtute atque ore repellunt,  
 Me vigili studio, me pietate fovent.  
 Agnoscisne, rogo, venerandæ ænigmata matris ?  
 Et mea quid signent mystica verba capis ?  
 An miserande meam nec vis cognoscere vocem,  
 Displicet atque oculis hispada forma tuis ?  
 Te gemitus noster peperit, te parvulus ortum  
 Nidulus excepit, te calor hic aluit ;  
 In lucemque trahens, tenebrosa ergastula rapit :  
 Aque dedit vita, luce, salute frui.  
 Hære igitur matri, dulces ne desere fratres :  
 D Horum solus amor est tibi certa salus.  
 Cur hanc persequeris, cur dulcia pignora carpis ?

Ubi mirari subit quid juris fuerit Moduino, Lugdu-  
 nensis Ecclesie suffraganeo, in Metropolim suam.  
 Nimirum quia magna ejus erat apud Ludovicum.  
 Pius auctoritas, facile ipsi fuit exsulante Agobardo  
 archiepiscopo, in jura ipsius Ecclesie invadere.  
 Certe quam bene audierit apud Ludovicum, argu-  
 mento est Theodulfi carmen præcitatum, ex quo in-  
 telligimus Moduinum Theodulfo persuadere molitum  
 fuisse ut crimen sibi ab imperatore impositum  
 agnosceret fatereturque : quod is innocens detrec-  
 tavit. At clarius Moduini auctoritatem probat Wa-  
 lafridus, eum Gallie *proretam* appellans.

Non hæc rostra tibi nostra figura dedit.  
 Tunde igitur tetrum rostri damnabilis uncum :  
 Et fuge germana vivere carne ferox.  
 Utere simplicibus nobiscum dulciter escis,  
 Et miti mitem pectore quære cibum.  
 Sunt pia jura ducum; pia sunt præcepta parentum:  
 Quis ego ab initio munior atque regor.  
 Quid tenebras luci, quid melli absinthia misces?  
 Ista tibi semper dissociata manent.  
 Ex quo conspicuus Christi per sæcula cultus  
 Fulsit, et idolica fugit ab urbe lues :  
 Nunquam prisca meos voxarunt jura ministros,  
 Pondere nec sæcli res onerata sacra est.  
 Semper distinctus (a) duplex hic ordo cuburrit,,  
 Judicibusque suis utraque pars viguit.  
 Ordinibus sacris reverentia debita cessit :  
 Plebeios rexit lex sua quemque viros.  
 Quid mihi nunc veterem tu vis subvertere sepem ?  
 Quid mihi maceriam diruis oppositam ?  
 Cur veteres fines nostro convellere fundo  
 Niteris, et cunctis pervia rura facis ?  
 Audi veridico Salomon quid personet ore,  
 Et mucrone time te jugulare tuo.  
 Eversor sæpis colubro mordente peribit,  
 Seque suo qui fert saxa labore premet.  
 Te preme, te perime : nam me spoliare nequibus,  
 Auxiliis fultam semper ubique Dei.  
 Post evangelicos clypeos, post tela corusca  
 Oris apostolici, post pia jura Dei,  
 Me Constantinus reverendo munit ab ore :  
 Me quoque (b) Theodosius protegit ore pio.  
 Arcadio dulci perdulcis Honorius hærens  
 Me dulci eloquio laudat, honorat, amat.  
 Quid veterana loquar ? nostro nunc ecce sub sævo  
 Qua placidus princeps me pietate colit ?  
 Pro me conciliis sudavit sæpe verendis,  
 Et valido pressit colla superba jugo.  
 Legibus antiquis edicta recentia junxit,  
 Et bona prisca novis auxit ubique bonis :  
 Ne me per plagas mundi, per turbida saxa  
 Obrueret subito nox fera naufragio.  
 Vere clara micant sacri mysteria Christi,  
 Quæ veterum signant gesta beata Patrum.  
 Jam validum Samson, dum vult peregrina subire  
 Connubia, impetiit horrisono ore leo.  
 Quem, veluti tenerum frustatim carperet hædum,  
 Ille necans, dulces sumpsit ab ore favos.  
 Sumpsit ab ore favos et dulcia mella leonis,  
 Qui fremuit pridem, dulciter esse sapit.

(a) Clericorum scilicet et laicorum, qui semper forum habuere diversum. Sub clericali ordine monachi etiam ante illud tempus continebatur.

(b) Quippe Ecclesia Gallicana codice Theodosiano utebatur, et ejus libertas ac immunitas legibus imperatorum, olim suorum, Romanorum utebatur.

(c) Alteram hac de re epistolam sive carmen aliud Moduino scripserat Florus, forsitan illud ipsum quod exstat in codice Petaviano, qui nunc est Christianæ serenissimæ Sueciæ reginæ. Habetur quidem aliud item ad Moduinum in collectione variorum epigrammatum typis Morelianis edita anno 1550, incipiens

A Infremuit mundi Christo veniente potestas,  
 Gentilem ut plebem necceret ipe sibi,  
 Infremuit terrore gravi, legesque feroces  
 Edidit, ac toto terruit orbe pios.  
 In servis tamen ille suis virtute potenti,  
 Dum superat mundum, robora dira necat.  
 Ut male quod vixit, moriatur ; mortua porro  
 Impietas dulcem promat ab ore fidem :  
 Quodque olim rabido fremitu laniare parabat,  
 Hoc modo jam dulci prædicet ore melos :  
 Jamque hædus Christi, qui tunc leo torvus abibat,  
 Peccator veniam postulet ipse sibi.  
 Sic mundana sibi subjecit culmina Christus,  
 Cuncta et in obsequium traxit ubique suum.  
 At tu si veterum nescis pia jura piorum,  
 B Desine quod nescis dilaniare bonum.  
 Et cape tranquillus, brevius quod pagina verbis  
 (e) Altera pacifico suggerit en studio :  
 Cumque serenato perlegeris omnia vultu,  
 Et quam non noras videris ipse viam,  
 Sub Christi terrore tremens, pietate fideli  
 Corrige quod pravum perspicis ipse tuum.  
 Nempe etiam si ulla usquam hæc jura vetarent  
 Num gessisse decet talia pontificem ?  
 Rem bene constructam tanto sudore, tot annis  
 Subruere, et sceleri pandere sponte viam ?  
 Dicere, nullus honos debetur (credite) sacris  
 Ordinibus : cunctos pulset ubique forum.  
 (d) Nam nisi cœnobium mater muliebri gubernans,  
 Et sacer antistes, cætera pulvis erunt.  
 Si pater es cleri, noli contemnere clerum :  
 C Nec te sic ut eos erige deicias.  
 Hæc quoniam non sanctus amor, sed turgidus atro  
 Fumifluum spirans ructat ab ore furor :  
 Hæc si mente pia relegas, si pectore puro  
 Accipias, prodest potio sacra tibi.  
 Est subamara quidem : sed si patiare, salubris.  
 Insunt gallinæ zelus amorque simul.  
 Æstimo, vir prudens, nullo te felle moveri,  
 Cum videas Florum te sic amare tuum.  
 Nam meliora pii sunt vulnera semper amoris,  
 Subdola quam fictis oscula pressa labris.  
 Et bene non notus, male si inscrebescere cunctis  
 Cœperis, infamis fabula semper eris.

## III.

(e) HYMNUS NI NATALE SANCTORUM JOANNIS ET PAULI.  
 D Joannis Paulique diem sol attulit orbi,  
 Qui rubra martyrii sarta cruore gerunt.

ab his versibus :

Solvo, Pater, profluas hilari de pectore grates,  
 Quod resseras Floro labra benigna tuo.

Verum tota hæc epistola eo tendit, ut Moduinum hortetur ad studium sacrarum litterarum.

(d) Verba sunt Modoini, quem Florus loquentem inducit in hunc modum : « Præter episcopos et abbatissas, cæteri omnes clerici et presbyteri laicum forum agnoscant. »

(e) Hoc carmine seu hymno Actis sanctorum Joannis et Pauli conciliatur fides.

Unicus hos sanguis germano fœdere junxit,  
 Unica mox fratres morsque fidesque parit.  
 Olim Romulei servantes mœnia regni  
 Barbaricos strarant sæpe mucrone globos :  
 Nunc ovium Christi purissima septa tuentes,  
 Dæmonicas arcent vi precibusque minas.  
 Hos morti addixit sacra pro lege tyrannus  
 Contemptor Christi Julianus rabidus :  
 Unius ille Dei cultum prius ore ferebat,  
 Donec ad culmen scanderet imperii.  
 Ast ubi convaluit misero terrena potestas,  
 Idolum vero prætulit ille Deo.  
 Tum famulos Christi lanians, et sanguine pastus  
 Innocuo, horrendis sævit ubique modis.  
 Verum ubi cœlesti prospexit Christus ab arce,  
 Audivitque pii sanguinis ille preces ;  
 Confestim misero cladem exitiabilis horæ  
 Destinât, hostili hostis ut ense ruat.  
 Vastata Ecclesia Persas in bella vocarat,  
 Ac multis septus millibus ibat atrox :  
 Cum subito arentes deserti ruris in agros  
 Devenit, et cuneos perdit ubique suos.  
 Qua neque victus erat, nec fons, nec fluminis unda,  
 Caumate sed nimio tota jacebat humus.  
 Dumque fremens montes, valles, camposque per-  
 Sicubi vel modico stilla liquore fluat ; [agrat ;  
 Incidit adversas condigno errore phalanges,  
 Perfossusque atra cuspide pectus obit.  
 Sed rabidus semper, et in ipsa morte rebellis,  
 Infremit, et summum hac voce lacessit herum :  
 Ebibe nunc nostrum quem quæris, Christe, cruorem,  
 Atque avidus leto jam satiari meo.  
 Ille quidem tales justo sub iudice pœnas  
 Exsolvit, post hæc tartara cæca petens.  
 At Domini testes sacrato sanguine loti,  
 Vertice laurigero sidera celsa petunt :  
 Quos toga pacifico vestit præfulgida cultu,  
 Regalique ambit purpura clara peplo.  
 Hos ceu fructiferas florens paradisos olivas,  
 Irriguo vitæ jugiter amne rigat.  
 Hi sunt æterno candelabra fulgida templo,  
 Progenies lucis, et pietatis honos.  
 Sidereo regi sublimi semper in aula  
 Astantes populis qui pia vota ferunt.  
 Quorum propitius precibus nos respice, Chris'te,  
 Et purga obscenum quidquid inesse vides.

## IV.

(a) TITULUS LIBELLI AD ALTARE SANCTI STEPHANI OBLATI,  
 SANCTISSIMO ET GLORIOSISSIMO ALUMNO AC PATRONO  
 NOSTRO BEATO STEPHANO PROTOMARTYRI DEDICATUS.

Hunc tibi, prime pii testis fortissime Christi,  
 Offerimus vario rutilantem flore libellum.  
 Hic tua prima micat post indita bella corona :

(a) Titulus est libelli ad altare S. Stephani oblati,  
 nempe in cathedrali ecclesia Lugdunensi, quæ beatæ  
 Mariæ et sanctis Stephano et Joanni dedicata est.  
 In exemplari Petaviano, ex quo hos versus noster

A Fulget bonos nomenque tuum ; tua præmia clamant.  
 Gamalihel sacer ille senex tua cœlitus ossa  
 Olim ignota orbi reverendo publicat ore ;  
 Ac tua membra, pater, radianti signat in auro,  
 Martyrium illustri depingit flore rosarum.  
 Se quoque Nichodemi conjungens sorte nepotis ;  
 In geminis auri calathis albetibus almus  
 Prodit rite rosis tenui vix sanguine tinctis :  
 Virgineosque artus puri fulgente canistro  
 Argenti et crocei commendat floris odore.

Hæc tua laus sequitur, sequitur tua florida  
 In Christi virtute potens pietate redundans, [virtus,  
 Gaudia dans mœstis, infirmis robora reddens,  
 Et dura sub morte sitos ac pene sepultos  
 Restituens vitæ, vitæ quia testis haberis.

B Tu primus Christi calcata morte perennis  
 Vexillum sublime ferens, hostilia castra  
 Fulmineis linguæ telis signisque coruscis  
 Stravisti, et pulchra palmam de morte tulisti.

Te sequitur reverenda cohors pro nomine sacro  
 Mille afflicta modis, mille illustrata triumphis.  
 Martyribus martyr tu norma et regula cunctis,  
 Purpureos ducis cuneos roseasque catervas :  
 Quorum purpureus de sanguine præmicat orbis,  
 Quorum florigeris præfulgent astra coronis,  
 Quorum casta Dei decorantur templa sepulcris,  
 Quorum tota micant insignia tempora festis,  
 Quorum cuncta sacris cedunt incommoda votis.

Hos sacer ille videt cœli in regione Joannes  
 Tantorum illustres post prælia dura laborum,  
 Dat quibus æternas felix victoria palmas,  
 Atque immortales stola candida præbet amictus.  
 C Non his ulla negat sua clemens munera Christus,  
 Quos ipse a mundi selectos sorte diremit,  
 Plantavitque Deo : quo semper robore læto  
 Crescendo in cœlum exsiliant, fructusque perennes  
 Pollenti virtute ferant, et quidquid ab alto  
 Oratum genitore velint, mox numine pronò  
 Accipiant, tribuantque piis : quos inter egenus  
 Censeri cupiens, et cordis vulnera deflens,  
 Ista tremens cecini submisso pectore, Florus,  
 Ut meritis tanti per Christum salver alumni,  
 Et procerum votis absolvat purpureorum.

. . . . .  
 Sanctorum eximiis meritis precibusque beatis.  
 Quorum perpetuos memorat liber iste triumphos,  
 D Da, Pater omnipotens, veniam, da, Christe, medellam  
 His qui supplicibus votis ac mente fideli  
 Committunt sese tantis per sæcla patronis,  
 Qui zabulo victo rutilis super astra coronis,  
 Conspicui, de te quidquid petiere merentur.

. . . . .  
 Christe, precor veniam segni des mitis alumno.  
 Tardus sum, tarde sed tibi nemo venit.

Acherius quondam describi curavit, exstant hiatus  
 seu spatia vacua duo, non quidem pro versibus, sed  
 pro titulis interserendis.

Longus præteritis tenuit nos error ab annis,  
Sufficiat meritis hæc rogo pœna meis.  
Vita brevis superest, in mortem et pronior ætas :  
Jam peccare senex nequeo, nolo tuus.

## V.

## (a) VERSUS EJUSDEM.

*Ubi ossa S. Cypriani Lugduni condita habentur*

Hæc locuples Christi thesaurus conditur arca,  
Purior argento, fulvo pretiosior auro,  
Clarius et cuncta gemmarum luce micantum.  
Hic nempe insigni doctor suavissimus ore,  
Eximius præsul, martyr celeberrimus idem,  
Lucifer ut nitidus magna Carthagine missus  
Emicat, et pulchra Cyprianus sorte quiescit.  
Additur huic geminum radianti lumine sidus,  
Speratus martyr cum martyre Pantaleone,  
Cujus cum capite hic pollent sacra ossa priorum.  
Quos pariter Carolo Francorum principe gaudens  
Gallia suscepit, Libycis ditata talentis.  
Hos igitur nobis oratio fida patronos  
Efficiat, Christo ut cœlis veniente coruscis,  
Martyribusque suis diademata clara ferente,  
Ipsorum meritis lux nos æterna receptet.

## VI.

## (b) TITULUS ABSIDÆ.

Martyribus subter venerabilis emicat aula :  
Martyribus supra Christus rex præsidet altus.  
Circumstant miris animalia mystica formis,  
Nocte dieque hymnis trinum inclamantia numen.  
Adstat apostolicus pariter chorus ore corusco,  
Cum Christo adveniet certo qui tempore iudex.  
Vivaque Hierusales, agno illustrante refulgens,  
Quatuor uno agitat paradisi flumina fonte.  
Pignoribus sacris clerus Baptista Joannes  
Altare illustrat, poscentia pectora purgat.

## MARTENII ADMONITIO

## DE

## CARMINIBUS PROXIME SEQUENTIBUS.

*Quæ hic damus carmina ex pervetusto codice Bigotiano eruimus, cujus character ad auctoris ætatem accedere videtur. Hæc autem tametsi tanti non sint momenti, minime tamen sunt spernenda, præcipue autem epigramma in librum Homiliarum totius anni, ex quo didicimus quam pauca tum sanctorum festa celebrarentur, aut proprium haberent officium. Nam præter festa SS. Stephani, Joannis evangelistæ, Innocentium, Joannis Baptistæ, Petri et Pauli, Machabæorum et Andreæ, qui locum in Homiliarum libro habebant, si qua forte occurrebant, extra communium classem officium non habebant.*

## I.

## IN EVANGELIUM MATTHÆI.

Primus evangelici scripsit mysteria regni  
Matthæus ex telonio ad cœli lucra vocatus.

(a) De translatione reliquiarum sancti Cypriani et aliorum in ecclesiam Lugdunensem tempore Caroli Magni, legendi versus Agobardi præsulis Lugdunensis, et Chronicon Adonis Viennensis

(b) Hic describitur altaris priscus apparatus in ec-

A Hæc canat almus amor, hæc dulci voce resultat.  
Nascitur in Bethleem sancta de Virgine Christus,  
Advenere Magi cœlesti sidere ducti.  
Joseph cum puero Ægyptum migrare jubetur.  
Cæduntur pueri regis livore cruenti.  
Jesus ab Ægypto Nazareth revocatur in urbem.  
Joannes populos tingit Jordanis in undis.  
Suscipit et Christus humilis baptismum Joannis.  
Inde quater denis jejunans ipse diebus.  
Tentatus zabulli vincit molimina diri.

Piscantes Petrum, Andræam, Jacobum atque  
[Joannem

Evocat. Illi almæ parent mox sedule jussis :  
Retibus abjectis, et navi et patre relictis.

His ille assumptis Galilæam circuit omnem,

B Ac varios hominum languores curat ubique,  
Discipulos mandata docet, dat jura beatis.

Sanguinis effusi vitandam admonet iram.

Munera grata Deo, fraternam reddere pacem,  
Mœchiam cordis fugiendam pectore casto.

Scandala si generent oculi qui more coluntur  
Sive manus dextræ pulsæ procul ire jubentur,  
Semper nexa viro nisi constet adultera conjux.

Juramenta vetat, quia sunt perjuræ juxta :  
Est et Non statuit veraci voce tenendum.

Altera cædenti detur maxilla libenter.

Et pius almus amor inimicos diligit ipsos,  
Ut pietatis opus sine læva dextera reddat,  
Utque placere Patri cupiat oratio soli.

Ut mens munda Deo jejunia læta frequentet,  
Nec facie tristi laudem petat illa caducam,

C Thesaurum cœlo condendum fur ubi nullus.

Corporis est oculus operis intentio simplex.

Hæc si pura viget, totos illuminat artus,  
Nec tenebrosa flent, quæ lucis amore geruntur.

Nullum posse æque dominis servire duobus,  
Nec mamonæ atque Deo divisa mente placere ;  
Pellendas animo curas et vestis et escæ.

Si volucres cœli pascit opulentia Patris,

Molliaque auleolo depingit lilia flore,  
Quando suis unquam natis pia dona negabit ?

Quapropter sua cuique satis sit cura diei,  
Crastina non crucient, quia sunt incerta caducis.  
Justitia est quærenda Dei, reliqua ultro dabuntur.

Occulta alterius damnet se iudice nemo,

Ex oculo fratris festucam educere quærens,

D Ipse prius proprio pellat de lumine tignum.

Ira vetusta trahit, levior festuca notatur.

Purget ab ira animum qui vult pietate mederi.  
Nempe odio extinctus nil rectum cernit ocellus.

Ne margaritam calcandam exponere porcis  
Quis velit, aut sanctum canibus dare dilacerandum.

Mitibus et mundis prosunt mysteria pacis.

Postulet alma fides, ut possit sumere dona.

Quærat amor sitiens, ut mox optata reportet,

clesiæ absida existentis, ita ut martyrum reliquiæ sub altare collocarentur, Christi e cruce pendentis effigie superius erecta, pendente in vasculo Eucharistiæ, sanctorum imaginibus circum appositis.